

## CAPUT XV.

## EPIZEUXIS

est, cum idem sonus, continue iteratur in eadem sententia. *Latine dicitur Geminatio.*

(Epizeuxis ab ἐπιζεύωμι, id est, adjungo, subjungo, nomen habet, quasi subjunctionem vel adjunctionem nominans, quia idem sonus alteri continue sine mora aut exigua mora subjicitur, Cicero 3. de Orat. geminationem verborum nominat. Geminantur autem verba, quod inquit Fabius lib. 9. cap. 3. vel 1. amplificandi gratia, ut, *Occidi, occidi, non Sp. Melium, &c.* alterum est enim quod indicat, alterum quod affirmat; vel 2. miserandi, ut, *ab Corydon Corydon!* vel 3. elevandi, idque per Ironiam, ut *Esa. 28. v. 13. Manda, remanda, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta.* Ubi Ironice repetit Propheta voces impiorum ipsum deridentium. *Col. 2. Ne tetigeris, ne gustaveris, ne contrectaveris, &c.* Ubi **NOTA** esse geminationem sive iterationem istam cum impetu & gestu pronuntiationis proferendam.)

1. Modi ejus potissimum quatuor sunt: 1. aliquando repetitur sonus idem, ut, *Hic P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Carthaginis, qui illam a multis Imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactam, pene captam, Cic. de arusp. respons.*

*Sic Titus Annius ad illam pestem (Clodium per Metonym. Adjunct. Hyperb.) comprimendam, extinguendam, funditus delendam natus esse videtur, & quasi divino munere donatus Republicæ. Id. pro Rosc. Estne quisquam qui tibi purior, prudentior, humanior, officiosior, liberalior, videatur?*)

2. Aliquando repetitur syllaba eadem, ut: *Fleretes, plorantes, lachrymantes; Abiit, excessit, evasit, erupit. Cic. in Catil.*

3. Aliquando repetitur dictio eadem, ut: *o Mysis, Mysis, TERENCE. Andr. Ab Corydon, Corydon, VIRGIL. Eclog. 2.*

4. Ali-

4. Aliquando parenthesis interjicitur, ut: *At vero ejus gloriae C. Caesar, quam paulo ante es adeptus, socium habes neminem.* Totum hoc quantumcunque est (quod certe maximum est) totum est, inquam, tuum. CIC. pro Marcell.

Cicero pro domo sua. *Sed excitatus aliquando* (dicam ipso audiente, quod sensi & sentio) *excitatus, inquam, aliquando Cn. Pompeji nimium reconditus & penitus abstrusus dolor.* In his & similibus exemplis parenthesis nihil impedit. Res enim eodem recidit, quis tanquam parenthesis non sit, geminatio illa continuatur. Talæus Rhet. l. 1. c. 19. *Ponitur Epizeuxis primo loco, quia continua est repetitio ejusdem soni sine mora sive interruptione diversarum sententiarum & locorum. Et ita est simplicior repetitio. Et ita natura prior.)*

Differt Epizeuxis autem 1. ab Anadiplosi & Climace, quia in illa est repetitio continua in eadem sententia: in his vero est repetitio continua in diversis sententiis.

Differt 2. ab Anaphora, Epistrophe, Symploce, Epanalepsi & Epanodo, quia in his est repetitio disjuncta, in diversis scilicet locis, ita ut aliquid intercedat, sive in diversis sententiis.

#### Exempla Epizeuxis promiscua.

Gen. 3. v. 6. *Multiplicando multiplicabo, (valde multiplicabo.)*

Exod. 34. v. 6. *Domine, Domine Deus.*

Habac. 2. v. 3. *Veniens veniet Dominus & non tardabit.*

Mich. 2. v. 12. *Congregans congregabo te (quam certissime.)*

Esa. 6. v. 3. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth.*

Esa. 48. v. 11. *Propter me, propter me faciam, ut non blasphemem.*

Psal. 22. v. 1. *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

Psal. 67. v. 7. *Benedicat nos Deus, Deus noster.*

Prov.

Prov. 20. v. 10.  
que abominabile est  
Math. 23. v. 3  
Joh. 16. v. 13.  
tis, &c.

Roman. 3. v. 22.

ad unum.

Rom. 7. v. 7. *Re-*  
*tributum: cui*  
*bonum, bonum.*

Luc. 17. v. 28.

conabant, pleni

August. Orat. co

reli, repudiata re

lata redi; non de

ferrius recur

non potes

Ubi & Epistrop

Horat. lib. 1. E

O cives, cives,

Virtus post nam

Virg. Æn. 4. 8

Idem lib. 9. E

te ferrum,

O Rutuli.

Georg. 3. Sed

Pro lege Ma

Rom. longe a dom

Pro Reg. Dejo

tati cessi, quem

Ast. 7. in Ver

Philip. 2. Tu

contra patriam

Terent. An

Abi hinc, abi

Eunuch. Ad

ubi est, du ca

Prov. 20. v. 10. *Pondus, pondus, mensura, mensura, utrumque abominabile est apud Deum (varia pondera, varia mensura.)*

Matth. 23. v. 37. *Jerusalem, Jerusalem.*

Joh. 16. v. 13. *Amen, Amen dico vobis, quicquid petieritis, &c.*

Roman. 3. v. 12. *Non est qui exerceat bonum, non est usque ad unum.*

Rom. 13. v. 7. *Reddite omnibus quod debetis, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

Luc. 17. v. 28. *In diebus Loth edebant, bibebant, emebant, vendebant, plantabant, edificabant.*

August. Orat. cont. Judæ. Pagan. & Arian. cap. 22. *Redi, redi, repudiata redi, confusa redi serpentinis fraudibus violata redi; non divinitate cœlesti composita, sed humanis assertionibus reconventa redi, fallere temetipsam potes, ipsum non potes.*

Ubi & Epistroph.

Horat. lib. 1. Epist. epist. 1.

O cives, cives, querenda pecunia primum,  
Virtus post nummos. — — —

Virg. Æn. 4. *Sed moriamur, ait, sic, sic juvat ire sub umbras.*

Idem lib. 9. Æneid. Me, me, adsum, qui feci, in me convertite ferrum,

O Rutuli.

Georg. 3. *Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.*

Pro lege Manil. *Fuit hoc quondam, fuit proprium Pop.*

Rom. *longe a domo bellare.*

Pro Reg. Deiot. *Ignosce, Ignosce Caesar, si ejus viri auctoritati cessit, quem nos omnes secuti sumus.*

Act. 7. in Verr. *Crux, crux, inquam, infelici & misero.*

Philip. 2. *Tu, tu, inquam, M. Antoni Caesar causam belli contra patriam inferendi dedisti.*

Terent. Andr. Act. 2. Scen. 1. *Age, age, ut lubet. Ibid.*

*Abi hinc, abi in malam crucem cum suspitione istac scelus.*

Eunuch. Act. 1. Sc. 2. O Thais, Thais. Act. 2. Sc. 3. *Ubi, ubi est, diu celari non potest.*